

1894. *L. J. Hundhausen* (I. II. Petri), Mainz, 1873. 1878. *G. K. Mayer* (epistolas Joannis), 1851. *H. Poggel* (II. et III. Joan.), 1896.

*Apocalypsim*: — *F. Verschraege*, Tornaci, 1855. *A. Bisping*, Münster, 1876. *P. Drach*, Paris, 1879. *Ph. Kremetz*, Freib. 1883. *Fr. S. Tiefenthaler*, Paderb. 1892.

2. — *Versiones* autem, plerumque *notis illustratae* saeculo XIX-o editae sunt sequentes.

*J. H. Kistemaker* († 1834.) Novum Test. anno 1825. in linguam Germanicam transtulit et adnotationibus ornavit.

*J. Fr. Allioli* († 1873.) anno 1830. edidit versionem Germanicam totius S. Scripturae cum notis. (Ed. VI. 1883.) Vulgatam sequitur, sed discrepantias textus originalis in notis indicat. Notae hujus versionis magna ex parte etiam in *versionem Hungaricam*, ab *Ad. Tárkányi* recognitam et anno 1863. editam, a sede apostolica approbatam translatae sunt.

*Fr. P. Kenrick* Archiep. Baltimorensis anno 1851. versionem antiquam Anglicam catholicam (Duacensem, The Douay Bible, ex anno 1609.) secundum Vulgatam confectam recognovit et notis illustravit. Anno autem 1857. episcopus *Denvir* Dublini novam editionem secundum Vulgatam fecit, cum textu originali collatam et notis instructam.

*P. Schegg* et *D. B. Haneberg* versionem et explicationem evangeliorum ediderunt annis 1856—80.

*V. Loch* et *W. Reischl* Vetus et Novum Testamentum ex Vulgata cum textu originali comparata in linguam Germanicam verterunt, et uberrimis adnotationibus ornavit. (Aug. Vindel. 1851—65. deinde 1867. sqq. 1883. sqq.)

*J. B. Glaire* annis 1861—66. versionem Gallicam S. Scripturae edidit a sede apost. approbatam.

*M. A. Bayle* annis 1871—84. versionem Bibliorum Gallicam cum interpretatione edidit.

### § 135.

#### Interpretes protestantes.

1. — Quum S. Scriptura protestantibus sit unica fidei regula, nemo mirabitur, eos immensum laborem interpretationi Scripturarum impendisse, et innumera fere opera exegetica conscripsisse. Et quamquam multa horum temeraria sunt magis quam erudita: tamen negari non potest, multa protestantium opera, ad artem criticam (textus) pertinentia, philologica, historica, geographica, archaeologica palmam omnibus praeripuisse. Ceterum protestantes sensum litteralem sequuntur; anti-

quiores quidem sensum typicum admittebant, sed recentiores, plerumque rationalismo imbuti eum rejiciunt.

Quod ad *usum operum exegeticorum protestantium* attinet, sequentia notanda sunt.

Non est dubium, usum librorum grammaticam, geographiam, archaeologiam, historiam, atque etiam Scripturam tractantium, a protestantibus scriptorum, studiosis imprimis theologiae atque ipsis theologis licitum esse, si libri illi haeresim ex professo non propugnant, si rem suam plerumque graviter et erudite, sine contentione doctrinaeque catholicae et ecclesiae impugnatione disserunt, etiamsi interdum, praesertim in rebus levioris momenti, aliqua minus recte dicant. Nam a) ipsae regulae Indicis (tit. I. cap. I. n. 2. et 3.) non nisi libros prohibent haeresim propugnantes vel religionis fundamenta impugnantes, item libros acatholicorum ex professo de religione tractantes (nisi constet, nihil eis contra fidem catholicam contineri); at libros eorundem auctorum »qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt« (n. 4.) jure ecclesiastico prohibitos non habent, donec speciali decreto proscripti non fuerint. b) Ecclesia usum editionum S. Scripturae protestanticarum (ut supra p. 371. sq. monstratum est) studiosis theologiae permittit; item (reg. Ind. 10.) usum operum classicorum lascivorum »propter sermonis elegantiam« »iis, quos officii aut magisterii ratio excusat«. Quae permissio ob eandem rationem etiam in libros illos protestantium extendenda videtur. c) Utilitas illorum librorum compensat periculum aliter propulsandum. Theologus enim et doctus catholicus (de quibus agitur) scire debet, quid de erroribus forte obviis sentiat; ipsi autem errores in schola a magistris facile refutantur.

Libros tamen nominatim in Indicem relatos sine permissu legere nemini licet. Necnon omnes libri etiam lege ecclesiastica non prohibiti in foro conscientiae lege naturali prohibentur iis, quibus periculum fidei inferant.

Ceterum hac in re considerare juvat verba S. Augustini et S. P. Leonis XIII. *S. Augustinus* ait: »Philosophi autem, qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt... non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.« (De Doctr. Chr. l. II. c. 40.) »Neque enim et litteras discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium;... immo vero, quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem.« (Ibid. c. 18.) — Et *S. P. Leo XIII.* dicit: »At vero id nimium dedecet, ut

quis egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos jamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, juvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt.« (Provid. Deus.)

2. — *Ante rationalismum* S. Scripturam interpretati sunt protestantes sequentes.

*Martinus Luther* († 1546.) praeter versionem totius S. Scripturae Germanicam annis 1522. sqq. factam (e textu originali) etiam commentarios scripsit, quorum praecipui sunt: in Genes., psalmos, ep. Roman. et Galat. Lutherus Scripturam omnibus permittit ac libere tractari vult, libros doctrinae suae adversos rejicit, et gloriatur, Scripturam ante se non esse intellectam. Auctoritatem Patrum et ecclesiae respuit et verbis duris indecentibusque notavit. Versio Lutheri ad finem non perducta a theologis Turicensibus (additis prophetis et deuterocanonicis) completa et anno 1529. edita est. (*Biblia Turicensia*.)

*Ulr. Zwingli* († 1531.) scripsit commentarios in Genes., Exod., psalmos, Isaiaem, Jeremiam, in evangelia et epistolas Paulinas.

*Joan. Calvin* († 1564.) reliquit commentarios lingua Latina purissima scriptos in Pentateuchum, psalmos, prophetas (Isaiaem), in evangelia, Actus, et epistolas Paulinas (14) et catholicas. Opera haec commentariis aliorum protestantium antiquorum longe antecellunt. Etiam versionem Bibliorum a P. R. Olivetano confectam correxit, quae Genevae anno 1545. edita *La Bible de Genève* appellatur. Versio haec adhuc pessima postea saepius (a Beza, Martin, Osterwald et aliis) emendata est.

*Phil. Melancthon* († 1560.) epistolam ad Roman. interpretatus est.

*Joan. Drusius* († 1616.) doctus philologus scripsit scholia in difficiliore Ant. Test. locos. Operibus Patrum et aliorum catholicorum (Lyrani) usus in suspensionem catholicitatis incidit.

*Versio Bibliorum Anglica*, qua protestantes Angli usque hodie utuntur, annis 1607—10. auctoritate Jacobi I. regis edita est. (*Biblia regia, The royal Bible*.) Haec est ipsa versio a Tyndale et Coverdale confecta (annis 1526. seqq.) et a M. Parker episcopo sub regina Elisabetha (an. 1568.) correcta (*The Bishops Bible*), quae sub Jacobo I.

iterum cum textu originali collata est, atque etiam recentissime emendata.

*Hugo Grotius* († 1645.) adnotationes scripsit ad totum Vet. T. et ad partem Novi Test. (etiam ad libros deuterocanonicos). Ex Maldonato multa deprompsisse dicitur. Vaticinia Messiana aliorum interpretatur, et nusquam Christum in Veteri Test. invenit. Rationalismo viam paravit.

*Joan. Coccejus* († 1669.) lexicon Hebraicum celeberrimum scripsit, typologiam exaggeravit et scholam figuristarum condidit.

*Joan. Adam. Osiander* anno 1676. commentarium in Pentat. magna cura compositum edidit.

*Campegius Vitringa* († 1722.) multos Utr. Test. locos difficiliore explanavit, et optimum scripsit commentarium in Isaiaem et Zachariam, Patrum quoque operibus usus. Sensum litteralem investigat, sed etiam sensum allegoricum, typicum, mysticum admittit, et vaticinia Messiana valde bene explicat.

*Joan. Clericus* († 1736.) Ariminianus, reliquit commentarios in Vetus Test. erudite scriptos. Inspirationem et vaticinia Messiana negat, miracula naturaliter explicat.

*Joan. Alb. Bengel* († 1752.) scholia scripsit in Novum Test. et commentarium in Apocalypsim.

Praeterea saeculo XVII. Scripturam interpretati sunt: Joan. Gerhard, Mart. Geier, Abrah. Calov, Seb. Schmid, Ludov. de Dieu; deinde saec. XVIII.: Alb. Schultens etc. Alii autem multi (Lud. Cappellus, Brian. Walton, J. Lightfoot, uterque J. Buxtorf, J. Carpzov etc.) rei criticae, philologicae et archaeologicae operam dederunt.

3. — *A tempore originis rationalismi* i. e. a medio saec. XVIII-o. Interpretes protestantes, qui hoc tempore vixerunt, partim orthodoxi sunt, partim rationalistae. Sed multi ipsorum primo orthodoxorum postea sententiam mutarunt, aut non satis sibi constantes, tum recte tum male senserunt, orthodoxi in una re, rationalistae in alia. Ideo vel illi ipsi, qui orthodoxis adnumerantur, caute legendi.

*Joan. Sal. Semler* († 1791.) ad multos Vet. et Novi Test. libros adnotationes scripsit. Unus ex rationalismi patribus.

*Sev. Vater* anno 1802. commentatus est Pentateuchum et prophetam Amos.

*J. G. Rosenmüller* († 1815.) annis 1777—90. scholia in Nov. Test. edidit. Conservativus.

*Ern. Frid. Car. Rosenmüller* prioris filius († 1835.) scripsit scholia in Pentateuchum, ceteros libros historicos, Job, psalmos, opera

Salomonis, prophetas majores et minores. Conservativus. In multis Casparum Sanctium sequi dicitur. Opera ejus utilia.

*Godefr. Eichhorn* († 1827.) commentarios in Job., prophetas et Apocalypsim composuit. Rationalista.

*Chr. Theoph. Kuinoel* secundo et tertio saeculi XIX-i decennio scripsit commentarios in evangelia, Actus et ep. ad Hebr. Unus ex optimis commentatoribus acatholicis.

*Herm. Olshausen* († 1839.) edidit commentarios in omnes Novi Test. libros ad usum concionatorum et studiosorum. Orthodoxus.

*Fr. H. Guil. Gesenius* († 1842.) praeter opera grammatica egregia commentarium scripsit in Isaiam. Rationalista moderatior.

*H. G. Paulus* († 1851.) commentarium edidit in evang. synoptica et vitam Jesu. Interpretationis naturalis auctor.

*Guil. M. De Wette* († 1849.) psalmos et totum Novum Test. interpretatus est. Multa ex Estio prompsisse dicitur.

*Aug. Knobel* († 1863.) Pentateuchum, Josue, Ecclesiasten et Isaiam explanavit.

*Frid. Tuch* († 1867.) commentarium scripsit in Genesim.

*G. H. A. Ewald* († 1875.) praeter multa opera philologica et historica commentarios composuit in libros A. T. poeticos et propheticos (an. 1835—41.), epistolam ad Hebr. et alias Paulinas, item in opera S. Joannis, epistolam Jacobi et Apocalypsim. Rationalista paulo moderatior.

*E. W. Hengstenberg* († 1869.) praeter opera isagogica commentatus est Job, psalmos, Ecclesiasten, Canticum, Ezechielem, vaticinia Messiana (Christologie des A. T. 1829—35. Ed. II. 1854—57.), evangelium Joannis et Apocalypsim. Scholae novae orthodoxae pater. Rationalismum erudite ac constanter impugnavit.

*Fr. Aug. G. Tholuck* († 1877.) a tertio saeculi decennio interpretatus est psalmos, orationem montanam, evang. Joannis, ep. ad Rom. et Hebr. Conservativus et unus ex impugnatoribus interpretationis naturalis et mythicae.

*Joh. Henr. Kurtz* annis 1846—69. commentatus est Genesim, libros Regum et ep. ad Hebr. Orthodoxus.

*J. P. Lange* sub titulo »Theol. homil. Bibelwerk« commentarios a se et aliis scriptos edidit in libros A. et N. T. annis 1857. sqq. (Ed. III. et IV. 1866—99.) Orthodoxus.

*Ferd. Hitzig* († 1875.) Jobum, psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum, prophetas majores et minores explanavit.

*Dillmann, Hitzig et Bertheau* cum aliis exegesim Ant. Testamenti ediderunt annis 1838—62. (Ed. recentissima 1853—97.) *Aug. Dillmann* († 1894.) interpretatus est Pentateuchum et Job, *Ern. Bertheau* recentiores libros historicos et Proverbia.

*H. A. W. Meyer* († 1873.) totum Novum Test. prolixo et bono commentario illustravit anno 1832. sqq. (Ed. V—IX. 1888—98.) Medius inter orthodoxos et rationalistas.

*K. Fr. Keil* († 1888.) praeter alia opera biblica (introductionem, archaeologiam etc.) in commentariis cum Fr. Delitzsch editis (1860. sqq. ed. II. et III. 1869—96.) interpretatus est libros Ant. Test. historicos et propheticos (Isaia excepto), deinde solus evangelia et epistolas Petri et Judae. Orthodoxus.

*Franc. Delitzsch* Judaeo-christianus († 1890.) in commentariis cum Keil editis tractavit Isaiam et libros Ant. Test. poeticos (Job, psalter. Prov. Ecclesiasten, Cantic.); praeterea solus Genesim, Habacuc et epistolam ad Hebraeos. Totum Nov. Test. in Hebraicum vertit. (Edit. a soc. bibl. Brit. et extr. Lipsiae, 1892.) Orthodoxis adnumeratur.

*Strack et Zöckler* aliis cooperantibus commentarium in omnes Vet. et Novi Test. libros ediderunt. (Ed. I. et II. annis 1886—99.) Medium inter orthodoxos et rationalistas tenere conantur.

*C. Cook* annis 1877—88. magnum commentarium in Utrumque Test. lingua Anglica vulgavit, cui titulus est: *Speaker's commentary*. Orthodoxus.

*W. Nowack* annis 1886—1901. commentarium in Ant. Test. edidit.

*H. J. Holtzmann, R. A. Lipsius* et alii commentarium manuum in Novum Test. composuerunt, annis 1889—91. (Ed. II. 1892—93.)

*Car. Marti* cum aliis commentarium in Ant. Test. edidit annis 1889—1901. (nondum ad finem perductum).

Ex magna interpretum protestantium recentiorum copia sequentes adhuc nominari merentur, qui omnes libros sacros plures aut pauciores explanarunt.

*Joh. Dav. Michaelis* († 1791.); *L. Bertholdt* († 1822.) rationalista; *J. Rückert* (ep. Rom. Cor. 1831—37.); *H. A. Haevernick* (praeter bonam introductionem in A. T. explanavit Ezech. Dan. † 1845.) orthodoxus; *K. A. Credner* rational. (praeter introd. in N. T. Joelem † 1857.); *Henr. Guerike* († 1878.) orthodox.; *Th. Fr. Kliefoth* (Ezech. Dan. Zach. Apoc.) orthodoxus; *C. P. Caspari* Judaeochristianus; *W. Neumann*; *J. H. A. Ebrard* (historiam evang. ep. Rom. Hebr. Apoc.) orthodox.; *Just. Olshausen* (psalmos an. 1853. † 1882.); *Fr. Bleek*, ration. (praeter introductionem in Utr. Test. exegesim synopticam trium prio-

rum evang. et comment. in ep. ad Hebr. † 1859.); *Jos. Bunsen*, ration. (Bibelwerk, 1858—70. † 1860.); *K. Fr. A. Fritzsche* († 1846.); *K. W. Justi* († 1846.); *Fr. Chr. Lücke* (evang. Joan. † 1855.); *Fr. W. C. Umbreit*, moderatus (Job, opera Salom. prophetas, ep. Rom. † 1860.); *W. Grimm*; *Herm. Hupfeld* (psalmos, † 1866.); *C. Wieseler* (chron. N. T., ep. Gal. Hebr. 1843—61.); *G. Volkmar*, rat. (Apoc. 1862.); *A. Hilgenfeld*, rat. (I. II. Thess. 1862.); *J. Chr. Hofmann* (Nov. Test. 1864.); *Fr. Köstlin* (Isai. et Jer. 1879.); *W. F. Besser* (Novum Test. 1862—97.); *J. T. Beck* (plures ep. Paul. ep. Petri, Apoc.); *H. Grütz* (psalmos et Ecclesiasten 1871—82.); *T. K. Cheyne* (plures proph. 1883—99.); *B. F. Westcott* (ep. Hebr. 1892.); *A. Kuenen* (proph. † 1891.); *E. Reuss* († 1891.); *J. Wellhausen*, ration. (praeter alia opera proph. minor.); *B. Stade*; *S. R. Driver* (I. II. Sam. Prov. Dan. Joel, Amos. 1897.).

Praeparationes (elenchum et explicationem verborum) scripserunt ad Ant. Test.: *A. Heiligstedt* 1871—94., *Freund et Marx* 1886—93., et *Joh. Bachmann* praesertim 1890—93.

\*

De historia exegesis Christianae tractant: *Rich. Simon*: Hist. crit. des vers. et commentateurs du N. T. Paris, 1690—93. — *O. Bardenhever*: Patrologie. Freib. i. Br. II. Aufl. 1901. — Geschichte der altkirchlichen Litteratur. I. Band. Freiburg i. Br. 1902. — *Fessler-Jungmann*: Institutiones Patrologiae. Oeniponte. 1890—96. — *P. Batiffol*: Anciennes littératures chrétiennes. I. La littérature grecque. Paris. II. édit. 1898. — *R. Duval*: Anciennes littératures chrétiennes. II. La littérature syriaque. Paris, 1899. — *F. Vigouroux*: Les écoles exégétiques chrétiennes aux premiers siècles. Revue bibl. Paris, 1892. p. 53—64. — *Guericke*: De schola, quae Alexandriae floruit catechetica. Halis Sax. 1824. — *Jules Simon*: Histoire de l'école d'Alexandrie. Paris, 1845. — *Kingsley*: Alexandria and her schools. London, 1854. — *H. Kihn*: Die Bedeutung der antiochenischen Schule auf dem exegetischen Gebiete, nebst einer Abhandlung über die ältesten christlichen Schulen. Weissenburg, 1866. — *Ph. Hergenröther*: Die antiochenische Schule und ihre Bedeutung auf exegetischem Gebiete. Würzburg, 1866. — *Th. Förster*: Chrysostomus in seinem Verhältniss zur antiochenischen Schule. Gotha, 1869. — *F. H. Chase*: Chrysostom: a study in the history of biblical interpretation. London, 1887. — *H. Kihn*: Theodor v. Mopsuestia und Junilius Africanus als Exegeten. Freiburg i. Br. 1880. — *H. Weiss*: Die grossen Kappadocier, Basilius, Gregor. v. Naz. und Greg. v. Nyss. als Exegeten. Braunsberg, 1872. —

*T. J. Lamy*: L'exégèse en orient au quatr. siècle ou les commentaires de Saint Ephrem. Revue bibl. 1893. pp. 5. 161. 465. — *A. Röhrich*: Essai sur St. Jérôme exégète. Genève, 1891. — *H. N. Clausen*: Aurelius Augustinus Hipponensis S. Scripturae interpres. Hauniae, 1827. — *C. Douais*: St. Augustin et la Bible. Revue biblique. 1893. p. 62. 351. — et 1894. p. 110. 410. — *Kellner*: Der h. Ambrosius, Bischof v. Mailand, als Erklärer des alten Testaments. Regensburg, 1893. — Freiburger *Kirchenlexicon*, II. Aufl. sub nomine exegetarum. — *R. Cornely*: Introd. gen. Paris, 1885. pp. 608—732. — *V. Zapletal*: Herm. Frib. Helv. 1897. p. 148—175.

\*

Operi tandem finito verissima ac pulcherrima Alberti Magni verba addidisse juvat, frequenter meditanda et nunquam oblivioni danda: »Spiritus Sanctus est ostiarius Sacrae Scripturae, qui nisi aperiat divina virtute, nemo ad intelligendum et docendum divina intrare poterit.« (Prol. in Joel.)

Δόξα τῷ θεῷ πάντων ἔνεκα.